



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Ordo II. quoad collationem & susceptionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

ORDO II.

Quoad collationem & Susceptionem.

PECCAT mort. qui se facit ordinari contra canones Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. vbi ait.

I. Nemo initietur prima tonsura, nisi fuerit confirmatus Sacramento Confirmationis: & nisi fuerit edoctus fidei rudimenta: & nisi sciat legere & scribere: & nisi intelligatur quod in obsequium Dei vult ordinari: non tamen ut brachium seculare fugiat. II. Minoribus ordinandus habeat testimonium bonum à suo Parocho, & à suo magistro scholæ: calleatq; linguam Latinam: & minores conferantur per temporis interstitia, nisi aliud iudicauerit Episcopus. III.

Quod minoribus ordinati ascendant ad Subdiaconatum post annum elapsum à postremi gradus susceptione, nisi aliud iudicauerit Episcopus.

III. Quod minoribus initiati ante sacros ordines per annum versentur in Ecclesia, sint exemplares maxime continentia, & dominicis aut solemnibus diebus communicent. V. Maioribus ordinandi maius habeant testimonium, idq; fiat publicè iussu Episcopi, de eorū natalibus, atate, & moribus, monitionibus in Ecclesia premis-

Qq si.

sis. VI. Quòd ordinandi presbyterio, in minis-
 tribus sint probati, bonum habeant testimonium:
 anno integro diaconatus feruiant: ministeria
 populum docendi, & Sacramenta administra-
 di prius sciant: & ab eis castitatis & bona vita
 habeatur expectatio. VII. Capitulum Sede va-
 cante infra annum à die vacationis licentiam
 aut litteras commissorias non concedat alicui qui
 beneficii obtenti, vel obtinendi occasione arti-
 tus non fuerit. VIII. Quòd facultates de
 promovendo aliquè à quocumque solum suffra-
 gentur habentibus iustam causam in litteris ex-
 primendam, ob quam à propriis Episcopis non
 ordinentur. Et tunc non ordinentur nisi ab Epi-
 scopo in sua diocesi residente, vel pro eo Ponti-
 ficalia exercente, idq; praeiudicium diligenti exami-
 IX. Quòd nemo ordinetur praeiudicium cuiusvis
 rescripti, vel privilegij, nisi eius probitas, &
 mores testimonio Ordinarij commendentur. X.
 Quòd aetas ordinandorum sit ad Subdiaconatum
 22. annorū: ad diaconatum, 23. & ad presby-
 terium. 25. & quòd nullus etiam regularis or-
 dinetur sine praeiudicium examine Episcopi. Et nota
 quòd huic decreto non obstat Bulla Pij V.
 Medicantibus quoad hoc concessa, quae abro-
 gata est à Gregor. XIII. XI. Quòd cū pro-
 motis per saltum, si nō ministraverint, Episcopus
 ex causa dispensare possit. XII. Quòd nullus
 ordinetur qui non ascribatur illi Ecclesia, aut
 loco

loco pio, pro cuius necessitate, aut utilitate ordinatur. Qui si eum locum inconsulto Episcopo deserat, ei sacrorum usus interdicitur.

XIII. Quod si fieri posset, minores ordines exercentibus stipendia assignentur: atque minoribus ordinati suis officijs inseruiant, ceteri qui minoribus carent, eos non exerceant. XIII.

Nullus clericus peregrinus sine commendatitij's literis sui ordinarij ad diuina officia admittatur. XV. Ne pro Missis nouis celebrandis quid datur, euitenturque exactiones elemosynarum importuna, ac illiberales. c. 25. n. 68. Et ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Et nemo publicè ac notoriè criminosus sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittatur. Et ne sanctum hoc sacrificium extra Ecclesiam, aut ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, à secularibus vel regularibus quibuscumque peragatur. Ibid.

Item peccat qui contrauenit statutis eiusdem Tridentin. sess. 14. cap. 2. de Reform. vbi statuit circa suscipientem ordines, hæc sequentia:

I. Qui se procurat ordinari ab Episcopo titulari absque sui Episcopi licentia, etiam si sit illius familiaris, & continuus commensalis, & in loco nullius diocesis, vel exempto, suspensus sit ab executione ordinum, quousque suo Prelato visum fuerit. Episcopus verò titularis ab

Q 9 2 exercitio

exercitio Pontificalium per annum sic suspensus.
 II. Quòd Episcopus ordinare potest familiar-
 rem suam per triennium ei seruientem, si bene-
 ficium statim re ipsa & sine fraude illi confe-
 rat. III. Nemo ordinetur contra voluntatem
 sui Pralati, etiam si prohibeatur promoueri ob
 occultum crimen & extra iudicialiter, & quòd
 ei qui à suis ordinibus, gradibus, dignitatibus
 Ecclesiasticis fuerit suspensus, non suffragetur
 vlla licentia de promouendo, aut ad priores gra-
 dus, ordines, aut dignitates antea consecuta
 restitutio contra proprij Pralati voluntatem.
 IIII. Quòd Episcopus potest suspendere adri-
 pus, si ei visum fuerit, suum subditum ordina-
 tum quacumque auctoritate absque suo prac-
 denti examine, si eum inueniat inhabilem. V.
 Quòd Episcopus aut alij sui ministri pro colla-
 tione quorumcumque ordinum, aut pro litteris
 dimissorijs, aut pro sigillo nihil quicquam etiam
 sponte oblatum accipiant. Et notarij pro scri-
 ptura, si eis nullum salarium pro officio exer-
 cendo sit constitutum, decimam tantum unius
 aurei partem accipere possint. VI. Quòd non
 concedat dimissorias, nisi prius examinatis &
 approbatis. VII. Quòd nemo ordinetur, nisi
 prius legitime constet eum beneficium Ecclesi-
 asticum ad victum sufficiens pacifice possidere, &
 quòd illud beneficium resignare nequeat, nisi
 facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum
 sit

fit promotu, eaq; resignatio non admittatur, nisi constet aliunde posse commodè viuere, & aliter facta sit nulla. VIII. Quòd patrimonium, vel pensionem obtinentes promoueri posthac nequeant, nisi quos Episcopus iudicarit necessarios, vel utiles, constituto priùs, quòd patrimonium aliud, vel pensio satis sunt eis ad vitam sustentandam, & illa sine Episcopi licentia alienare nequeant, donec beneficium sufficiens adipsantur, aut aliunde habeant, vnde honestè viuant. c. 22 n. 18. dicto. 3.

Ordo sacer metu iusto susceptus valet. c. 22. num. 52.

Recipiens ordinem, etiam primam tonsuram, ante Sacramentum Cõfirmationis, peccat mort. cap. 25. num. 68. Sed hoc intellige, si adsit contemptus. nam si desit, nõ erit nisi veniale. cap. 22. num. 9.

Suscipiens minores ordines in mortali non peccat mortaliter: Secus de eo, qui suscipit Episcopatum aut alium sacrum ordinem in mortali. c. 22. num. 18.

Peccat etiam mortaliter, qui procurat ordinari, vel ordinatur ab Episcopo titulari, sine sui Episcopi licentia. ibidem.

Peccat mort. qui scienter ordinatur ab Episcopo excommunicato: Et qui illegitimus quantumnis occultus ordinatur sine dispensatione: Item qui ordinatur extra tempora,

Qq 3

pora, vel ante legitimam aetatem, vel absque litteris dimissoriis, & est ipso iure suspensus cap. 25. num. 59.

Ordinatus autem ante legitimam aetatem, nec recipit executionem ordinum, nec privilegia ad eam spectantia. cap. 27. num. 202.

De eo qui non potest retinere vinum, de infami, de seruo, de neophyto, de idiota, de coniugato cum scurrili foemina, an possint ordinari, vide Irregularitas III.

Non baptizatus licet sit catechumenus, & sanctus, si ordinatur, non recipit characterem ordinis. cap. 27. num. 205.

Peccat mort. qui furtim ordinatur, & contra prohibitionem ordinantis: & si prohibitio fuit sub excommunicatione latae sententiae, est excommunicatus & irregularis, cum quo solus Papa dispensat. c. 25. n. 70.

Qui scienter per saltum ordinatur, peccat mort. & potest cum eo dispensare Episcopus, antequam ministret, & dummodo antequam utatur dispensatione, suscipiat ordinem omissum. Peccat etiam mort. qui ordinatur omissio aliquo necessario de necessitate precepti, & non suppleto eo utitur ordine, non tamen sit irregularis. num. 71.

Peccat mort. qui eodem die suscipit duos ordines sacros, & est a posteriore suspensus, in quo solus Papa dispensat. Item qui eodem

dem die suscipit ordines minores, & Subdiaconatum, nisi consuetudo esset contraria. Quod habet locum etiam post Trid. Non tamen peccat, qui eodem die suscipit quatuor minores. num. 71.

Peccat mort. qui corpore vitiatu ordinatur, aut qui postquam fuit semel à dæmone obsessus, vel morbo caduco in terram elusus: & qui antequam hos morbos haberet, ordinatus fuit, peccat celebrando, si postea frequenter corripitur eis: non tamen peccat celebrando, qui in insaniam, vel furorem ex vi febris, vel vulneris versus fuit. à Dæmone autem obsessus numquam est ordinandus: aut si ordinatus sit, numquã debet celebrare, etiam si semel tantum fuerit obsessus. cap. 25. num. 72. & cap. 27. num. 203. de leproso, vel patiente aliam infirmitatem præbentem notabile scandalum vsui ordinum. vide tit. irregularitas. 3. §. 2.

Peccat mort. qui excommunicatus suscipit ordines etiam minores: & qui notatus crimine notorio, & depositione digno, ordinatur ante dispensationem. Cum quo videtur dispensare Episcopus saltem in foro interiori, eo ipso quo ordinat illum. num. 73. 74. c. 25.

Licitum est suscipere primam tonsuram, & etiam minores ordines sine animo vite-

Qq 4 ritus

rius ascendendi. num. 108.

Qui retinet duo beneficia curata sit in-
pax ad ordines. 115.

Ad presbyteratum sufficit attingere 24
etatis annum. 116.

Obtentio beneficij est iusta causa dispen-
sandi in interstitiis requisitis ad ordines.
Ibidem.

De suscipiente ordinem titulo patrimo-
nij promissi, vel donati animo retrodonan-
di post ordinationem: vide tit. Suspendio.

ORDO III. Quoad Ministrum confe-
rentem ordines. Ministrans ordinem etiam
scienter nondum confirmato, solum peccat
venialiter, si desit contemptus. cap. 22. nu-
mer. 18.

Causa sufficiens ad conferendum omnes
maiores ordines intra annum à collatione
minorum, est, quòd ordinandus obtineat be-
neficium presbyterale, & sit constitutio Sy-
nodalis (vt est in Episcopatu Palentino) quòd
obtinens huiusmodi beneficium fiat presby-
ter intra annum. cap. 25. num. 116.

Quatuor minores ordines possunt ab Ab-
bate conferri. cap. 22. num. 18. Statuta Tri-
circa conferentem ordines, vide supra, Or-
do. II.

ORDO IIII. Quoad executionem.
Peccat mort. qui excommunicatus, vel in-
terdictus